



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

1. Cœlestis Pastor, &c. Damnatio Propositionum, & Errorum Michaelis
Molinos: anno 1687.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO
1678.

sonæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorum sub Annulo Piscatoris die XXVII. Martii MDCLXXV. Pontificatus nostri anno quinto.

Loco ✠ Annuli Piscatoris.

I. G. Slufius.

Decretum Sacræ Congregationis

Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpositæ.

Cum Summarium Indulgentiarum Archiconfraternitatis Cincturatorum Sancti Augustini, & Sanctæ Monicæ sub invocatione Beatæ Virginis MARIÆ de Consolatione, erectæ Bononiæ, fuerit à Sacra Congregatione recognitum die 11. Septembris 1674. & à sel. rec. Clemente X. confirmatum, ac Brevi insertum, quod incipit, *Ex iuncto nobis &c.* dato die 27. Martii 1675, nihil obstat, quò minus possit seorsum à Brevi iterum imprimi, & ubique promulgari; & Indulgentia præsertim ibidem expressa à Bonifacio IX. in Dominica Festum S. Nicolai de Tolentino proximè sequente concessa, quam nonnulli satis non advertentes eandem esse arbitrarentur ac illam in novissimo Decreto huius Congregationis lato die 7. Martii 1678. adnumeratam apocryphis, & falsis; cum tamen *Die, aliisque circumstantiis* ab ipsa diversa sit. Romæ die 5. Julii 1678.

A. Card. Homodeus.

Loco ✠ Sigilli.

Michael Angelus Riccius Sacr. Congr. Secr.

ANNO
1676.

INNOCENTIUS UNDECIMUS,

PONTIFEX CCXLIV.

ANNO DOMINI MDCLXXVI.

Innocentius Comensis, antea Benedictus Odeschalchus Anno 1676. Pontifex recunciatus. Vitâ, moribusque integerrimis, alienus à suis, Pauperibus addictus. Christianorum armis contra Turcas ingenti pecuniâ prestò fuit. Quæis devictis in rei memoriam Festum S. Nominis Mariæ quotannis celebrari iussit. Ludovicum XIV. Galliæ Regem insensum habuit. Michaelis Molinos Hispani Quietistarum Antesignani errores diris devovit. Obiit Anno 1689. cum annum decimum tertium regnaret. (*Magni Bullarii Romani huius Editi Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 1. App.*)

Ex Calvo-
rii hist.
Schym,
pag. 577.

Damnatio Propositionum, & Errorum Michaelis Molinos: Anno 1687.

ANNO
1687.

INNOCENTIUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Coelstis Pastor Christus Dominus, ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum, à potestate Diaboli, sub qua miserè post lapsum primi nostri parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est. Mox rediturus in Cælum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam, tanquam novam Civitatem, Sanctam Jerusalem, descendentem de Cælo, non habentem rugam, neque maculam, unam sanctamque in Terris relinquens, armis suæ potentæ contra portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & Successoribus ejus regendam tradidit, ut Doctrinam, ab ipsius ore hautam, sartam custodirent, ne Oves pretioso sanguine suo redemptæ pravæ opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipuè Beato Petro mandasse nos Sacræ Litteræ docent. Cui enim Apostolorum nisi Petro dixit: *Pasce oves meas?* Et rursus, Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma Fratres tuos. Quare Nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei omnipotentis Consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ à Christo Domino per Apostolos suos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quam ipse usque ad consummationem seculi permanuram esse promissit.

Cum igitur ad Apostolatam nostrum relatum fuisset, quemdam Michaellem de Molinos prava dogmata, tum verbo tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis contra doctrinam, & usum à Sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles à vera Religione, & à Christianæ pietatis praxi in maximis errores & turpissima quæque inducebant; Nos, cui cordi semper fuit, ut Fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravæ opinionum erroribus, ad optatum salutis portum tutò pervenire possint, legitimis præcedentibus iudiciis, prædictum Michaellem de Molinos Carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, in tota Republica Christiana generalibus Inquisitoribus, Apostolica auctoritate specialiter deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis, tum voce, tum scripto susceptis, maturèque perpensis, imploratâ etiam Sancti Spiritus assistentiâ, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto ad damnationem infracriptorum propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, à quo fuerant pro suis recognitæ, & de quibus propositionibus tanquam à se dictatis, scriptis communicatis, & creditis ipse convictus, & respectivè confessus fuerat, ut latius in processu, & Decreto de Mandato nostro lato die 28. Augusti anni præsentis 1687. patet, devenire, ut infra, decreverimus.

PROPOSITIONES.

I. Oportet Hominem suas potentias annihilare: & hæc est via interna.

II. Velle operari activè est Deum offendere, qui vult esse ipse solus agens, & ideo opus est se ipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere, velut Corpus exanime.

III. Vota

ANNO
1687.

III. Vota de aliquo facienda sunt perfectionis impedimenta.

IV. Activitas naturalis est gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram perfectionem, quia Deus vult operari in nobis sine nobis.

V. Nihil operando anima se annihilat, & ad suum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinitata: Et Deus tunc in se ipso remanet, quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum: Et hæc ratione vivit Deus, & regnat in nobis, & anima se ipsam annihilat in esse operativo.

VI. Via interna est illa, in qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio, & non oportet Deum cognoscere; Et hoc modo rectè proceditur.

VII. Non debet anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de morte, nec de æternitate.

VIII. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; Nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet, ut corpus exanime manere.

IX. Non debet anima reminisci, nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei, & in via interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

X. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodò non adfit voluntas scandalizandi: & ad proprios defectus non posse reflectere gratia Dei est.

XI. Ad dubia, quæ occurrunt, an rectè procedatur necne, non opus est reflectere.

XII. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso: Nec debet desiderium habere propriæ Perfectionis, nec Virtutum, nec propriæ Sanctitatis, nec propriæ Salutis, cujus spem purgare debet.

XIII. Resignato Deo libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis sine nobis suam divinam voluntatem.

XIV. Qui divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut à Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis: Et est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & illud Evangelii: Petite, & accipietis: Non est dictum à Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem; Imò huiusmodi animæ eò perveniunt, ut non possint à Deo rem aliquam petere.

XV. Sicut non debet à Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debet, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

XVI. Non convenit Indulgentias quærere pro peccatâ propriis peccatis debitâ, quia melius est divinæ Justitiæ satisfacere, quàm divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostro intercessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle crucem fugere.

XVII. Tradito Deo libero arbitrio, & eidem relicta curâ, & cognitione animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis resistentia fieri debet, nisi negativa, nullâ adhibitâ industriâ, etsi natura commovetur, oportet sinere, quia est natura.

XVIII. Qui in oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in Spiritu, & Veritate.

XIX. Qui amat Deum eo modo, quo ratio

argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

XX. Afferere, quòd in Creatione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est: Deus nunquam loquitur, ejus locutio est operatio, & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operationibus eam non impedit.

XXI. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscunque cogitationis particularis, ac distinctionis attributorum Dei, ac Trinitatis; Et sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

XXII. Cognitio hæc per fidem non est actus à Creatura productus, sed est cognitio à Deo Creaturæ tradita, quam Creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse, & idem dicitur de amore.

XXIII. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, lectionem, meditationem, orationem, & contemplationem infusam. Qui semper in 1. sistit, nunquam ad 2. pertranfit: Qui semper in 2. persistit, nunquam ad 3. pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodò Deus animam non trahat (absque eo, quòd ipsa id expectet) ad contemplationem infusam: Et hæc cessante, anima regredi debet ad 3. gradum, & in ipso permanere, absque eo, quòd amplius redeat ad secundum, aut primum.

XXIV. Qualescunque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntariè non nutriantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt orationem Fidei, imò eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis divinæ voluntati resignata remanet.

XXV. Etiam si superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit oratio, & contemplatio actualis, quia oratio, & resignatio, resignatio & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

XXVI. Tres illæ viæ, purgativa, illuminativa, & unitiva, sunt absurdum maximum, quòd dictum fuerit in mystica, cum non sit nisi unica via, scilicet interna.

XXVII. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed se ipsum; Et malè agit, cum eam desiderat, & eam habere conatur, qui per viam internam incedit, tam in locis sacris, quàm in diebus solemnibus.

XXVIII. Tædium bonorum spiritualium bonum est, siquidem purgatur amor proprius.

XXIX. Dum anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullam in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

XXX. Torum sensibile, quòd experimur in vitâ spirituali, est abominabile, spurcum & immundum.

XXXI. Nullus meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent à sensibus cognosci; Opus est amittere virtutes.

XXXII. Nec antè, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio pro istis animabus internis, quam permanentia in solitâ resignatione passivâ, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui fieri possunt, & sunt in vitâ ordinaria: Et in hæc

ANNO
1687.

ANNO
1687.

occasione Communionis insurgunt motus humi-
liationis, petitionis, aut gratiam actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur eos esse in impulsu speciali Dei, aliàs sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

XXXIII. Malè agit anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solennibus vult aliquo conatu particulari excitare in se devotum aliquem sensum, quoniam animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi; Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

XXXIV. Verbis & linguâ Deo gratias agere non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum opponendo, quod operetur in illis, & quod magis Deo se resignant, experiuntur se non posse Orationem Dominicam, seu *Pater noster* recitare.

XXXV. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes etiam virtuosas ex propria electione, & activitate: Aliàs non essent mortuæ, nec debent elicere actus amoris erga B. Virginem, Sanctos, aut Humanitatem Christi; Quia cum ista sensibilia sunt objecta, talis est amor erga illa.

XXXVI. Nulla Creatura, nec Beata Virgo, nec Sancti federe debent in nostro Corde, quia solus Deus vult illud occupare & possidere.

XXXVII. In occasione tentationum etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supra dicto amore, & resignatione remanere.

XXXVIII. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

XXXIX. Sanctiora opera, & penitentia, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhesionem.

XL. Beata Virgo nullum mentis opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior: Igitur ad Sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

XLI. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis etiam acceptitiis, Dæmon violentiam inferat eorum corporibus, easque actusque carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice illis manus, & alia membra contra earum voluntatem, & idem dicitur quoad illos actus per se peccaminosos, in quo earum non sunt peccata, quia in his non adest consensus.

XLII. Potest dari casus, quo hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum Personarum, scilicet maris, & feminae, & ex parte utriusque sequatur actus.

XLIII. Deus præteritis temporibus Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc verò eos efficit Sanctos ministerio Dæmonum, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, annihilent, & se Deo resignent.

XLIV. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex Dæmonis violentia.

XLV. Sanctus Paulus hujusmodi Dæmonis violentias in suo corpore passus est: Unde scripsit: Non quod volo bonum hoc ago; Sed quod nolo malum hoc facio.

XLVI. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandum animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia superest via, & hæc est via facilior, & tutior.

XLVII. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt,

finere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet Homo in suo nihilo: Et etiam sequantur pollutiones, & actus obscæni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est se ipsum inquietare, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores, quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magis candida, & acquiritur sancta libertas, & præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc passio superatur Dæmon & acquiritur Thesaurus pacis.

XLVIII. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur: Unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

XLIX. Job ex violentia Dæmonis se propriis manibus pollebat eodem tempore, quo mundas habebat ad Deum preces: Sic interpretando locum ex cap. Job. XVI.

L. David, Jeremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur, harum impurarum operationum exteriarum.

LI. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos, ut illud de Samfone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium inivit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ aliàs erant prohibita, & peccata fuissent, de Juditha, quæ Holopherni mentita fuit; De Elifæo, qui pueris maledixit; De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab; An verò fuerit violentia immediata à Deo peracta, vel ministerio Dæmonum, ut aliis animabus contigit, in dubio relinquitur.

LII. Cum hujusmodi violentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, ut de facto semper unitur.

LIII. Sed cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis Personis fuerit violentia; Regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum aliarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod non his consenserint, & videre, quod sint animæ, quæ proficiunt in via externa, sed regulam sumere à lumine quodam actuali, cognitione humanâ, & Theologicâ superiore, quod me certò cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violentia: Et certus sum, quod hoc lumen à Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod à Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii relinquit in contrarium: Eo modo, quod interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sic, qui revelet, & anima in contrarium non potest dubitare.

LIV. Spirituales viæ ordinariæ in hora mortis se delusos inveniunt, & confusos, cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

LV. Per hanc viam internam pervenitur, est multa cum sufferentiâ ad purgandas, & extinguendas omnes passiones; Ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil: Nec ultra sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sentit.

LVI. Duæ leges, & duæ cupiditates, animæ una, & amoris proprii altera, tamdiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius: Unde quando purgatus est & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius duæ illæ leges, & duæ cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, ne quidem veniale peccatum.

ANNO
1687.

LVII. Per

ANNO
1687.

LVII. Per contemplationem acquiritur pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

LVIII. Ad huiusmodi statum pervenitur non reflectendo amplius ad proprias operationes, quia defectus ex reflexione oriuntur.

LIX. Vita interna sejuncta est à Confessione, à Confessariis, à Casibus conscientiae, à Theologia, & à Philosophia.

LX. Animabus proventis, quae reflexionibus mori incipiunt, & eodè etiam perveniunt, ut sint mortuae, Deus confessionem aliquando efficit impossibilem, & supplet ipse tantà gratiâ praeferente, quantum in Sacramento recipere; Et ideo huiusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Poenitentiae accedere, quia id est illis impossibile.

LXI. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus eam illi abstulit.

LXII. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum, quin imò signum, quòd quis in statu nihilitatis maneat, id est, mortis mysticae, est, si sensus exteriores non repraesentent amplius res sensibiles, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus ad eas applicet.

LXIII. Per viam internam pervenitur ad statum continuum immobilem in pace imperturbabili.

LXIV. Theologus minorem dispositionem habet quam rudis Homo ad statum contemplativum: Primò, quia non habet fidem adeo puram: Secundò, quia non est adeo humilis: Tertio, quia non adeo curat propriam Salutem: Quarto, quia caput habet refectum phantasmaribus, speciebus, opinionibus, speculationibus: Et non potest in illum ingredi verum lumen.

LXV. Praepositis obediendum est in exteriori, & latitudo voti obedientiae Religiosorum tantummodò ad exterius pertingit: In interiori verò res aliter se habet, quòd solus Deus & Director intrant.

LXVI. Rifu digna est nova quaedam doctrina in Ecclesia Dei, quòd anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo, quòd si Episcopus non sit capax, anima ipsam cum suo Directore adeat, novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullae, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt nec tradere possunt; Quia Ecclesia non iudicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

LXVII. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Praepositorum, & quòd peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio, quia Ecclesia non iudicat de occultis, & propriis animabus praepudicant his deceptionibus, & simulationibus.

LXVIII. In mundo non est facultas nec iurisdicctio ad praepiendum, ut manifestentur Epistolae Directoris quoad internum animae, & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanae.

Quas quidem propositiones tanquam haereticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemias, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianae Disciplinae relaxativas, & everivas, & seditionas, respectivè, ac quaecumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium & Inquisitorum Generalium damnavimus, proscripsimus, & abolevimus; Deque eisdem, & similibus omnibus & singulis posthac quoque modo loquendi, scribendi, dispu-

ANNO
1687.

tandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscumque interdiximus, & contrafacientes omnibus dignitatibus, gradibus, honoribus, beneficiis, & officiis ipso facto perpetuò privavimus, & inhabiles ad quaecumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, à quo nisi à Nobis, & à Romanis Pontificibus Successoribus nostris valeant absolvi.

Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco & idiomate impressa, nec non omnia manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos, vetuimusque, ne quis cujuscumque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali notâ dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine, ea imprimere, vel imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare reneantur, sub eisdem penis superius inflictis, qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburant, vel comburi faciant. Tandem, ut praedictus Michael de Molinos ob haereses, errores, & turpia facta praedicta debitis penis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, & auditis dilectis Filiis Consultoribus nostris sanctae Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magistris, cum eorumdem Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium unamini voto, dictum Michael de Molinos, tanquam reum convictum, & confessum respectivè, & uti haereticum formalem, licet poenitentem, in poenam aeterni, & perpetui Carceris, & ad peragendas alias poenitentias salutares, praevia tamen abjurazione de formali per ipsum emittenda, servato Juris ordine, damnavimus: Mandantes, ut die, & horâ praefigendis in Ecclesia S. Mariae supra Minervam hujus almae urbis, praesentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, & Romanae Curiae nostrae Praelatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem Michael de Molinos, una cum sententia inde sequuta legeretur: Et postquam idem de Molinos habitu poenitentiae indutus praedictos errores, & haereses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto Filio nostri Sancti Officii Commisario, ut eum à censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiae consueta absolveret; Quae omnia in executionem dictae nostrae ordinationis die tertia Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licet supranarratum Decretum de mandato nostro latum ad majorem Fidelium cautelam typis editum, publicis locis affixum, & divulgatum fuerit, nihilominus, ne hujus Apostolicae damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque Populus Christianus Catholica veritate instructior per viam Salutis incedere valeat, Praedecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inherentes, hanc nostram perpetuò valituram Constitutione supradictum Decretum denuò approbamus, confirmamus, & debita executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones definitivè damnantes, & reprobandas, librosque, & manuscripta ejusdem Michaelis de Molinos prohibentes, & interdictos sub eisdem penis & censuris contra transgressores latis & inflictis.

Decernentes

ANNO
1690.

Decernentes insuper præfentes literas semper & perpetuò validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere: Sicque per quoscunque Ordinarios, & Delegatos quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, sublatâ eis, & eorum cuilibet quâvis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quocumque quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus Personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem Fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergò omninò Hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, decreti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octuagesimo septimo, duodecimo Kal. Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

F. Datarius, J. F. Albanus.

Vifa de Curia.

S. de Pilastris.

Registrata in Secretaria Brevium.

D. Ciampinus.

Anno à Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, Indictione undecimâ, die verò 19. Februarii, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris D. N. D. Innocentii divinâ Providentiâ Papæ XI, anno ejus duodecimo, presentes literæ Apostolica affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ Sancti Johannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ, & aliis locis solitis & consuetis Urbis, per me Franciscum Perinum S. S. D. N. Papæ, & Sanctissima Inquisitionis Cursorem.

ANNO
1689.

ALEXANDER OCTAVUS,

PONTIFEX CCXLV.

ANNO DOMINI MDCLXXXIX.

Alexander antea dictus Petrus Otobonus an. 1689. Pontifex renunciatur. Romanam Ecclesiam Menses sexdecim administravit: Molinismi reliquias delere satagit: Plures Sanctorum Albo adscriptit. (*Magni Bullarii Romani hujus Edit. Luxemb. 1727. Tom. VII. Fol. 79. App.*)

Proscriptio Astuum editorum à Clero Gallicano pro declaranda Ecclesiastica Potestate an. 1682. sub Innocentio XI. quos hic prius referre placuit: an. 1690.

IV. PROPOSITIONES.

I. Beato Petro ejusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiæ, rerum spiritualium, & ad æternam Salutem pertinentium, non autem civilium, ac temporalium à Deo traditam potestatem, C. Reges ergo, & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subijci, neque auctoritate Clavium Ecclesiæ directè, vel indirectè deponi, aut illorum subditos eximi à fide, ac obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse &c.

II. Sic inesse Apostolicæ Sedi, ac Petri Successoribus rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant S. Oecumenicæ Synodi Constantiensis à Sede Apostolica comprobata, ipsorumque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesiâ Gallicana perpetua Religione custodita Decreta, de auctoritate Conciliorum Generalium, quæ sessione quanta, & quinta continentur &c.

III. Hinc Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos &c.

IV. In Fidei quoque quæstionibus præcipuas Summi Pontificis esse partes, ejusque Decreta ad omnes, & singulas Ecclesias pertinere: Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

REGIS DECRETUM.

Ut ea Propositiones in universa ditione, & Provinciis, atque Academiis Regnorum suorum defendantur, & singulas Ecclesias pertinere: Nec tamen irreformabile esse judicium, nisi consensus Ecclesiæ accesserit.

Hæ sunt Propositiones Cleri cum Decreto Regio, sequitur statim Bulla Alexandri Papæ VIII. ubi earundem proscriptio continetur.

ALEXANDER EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, &c.

Inter multiplices Pastoralis Officii nostri curas, quibus jugiter premimur, in illam peculiari studio incumbimus, ut Apostolicæ Sedis, ac universalis Ecclesiæ, nec non etiam singularum Ecclesiarum, Locorumque, ac Personarum Ecclesiasticarum Jura, ubique sartarecta ac illibata tueri, & conservare, eaque adversus quæcumque, per quæ illis aliquid detrimenti inferri possent, traditâ Nobis divinitus potestate, vindicare satagamus, omnibus maturè ac debitè pensatis, justitiæ ac rationi consentaneum esse in Domino arbitramur. Cum itaque, ex quo primum humilitatem nostram inscrutabili divinæ suæ providentiæ arcano in suprema militantis Ecclesiæ specula collocavit Altissimus, præ cæteris, quæ Pontificiæ nostræ sollicitudini sese obtulerent, negotiis, illa in primis gravissima in Nobis

qui

ANNO
1690.
Ex Berni
Historia
dell'Ere-
fi. Tom. 4.